






MISSA DE SS. NOMINE JESU.

Introitus.

IN nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JEsus Christus in gloria est Dei Patris. *Psal. 8.* Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra.

℣. Gloria Patri, &c.

Oratio.

DEus, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, & Jesum vocari jussisti: concede propitius, ut cujus sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in cœlis. Per eundem, &c.

Deinde fit comm. de Dominica secunda post Epiph: Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul & terrena moderaris: supplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum: &c.

Lectio Actuum Apost: Cap. 4.

IN diebus illis: Petrus Spiritu Sancto repletus, dixit: Principes populi, & seniores audite. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est: notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus: qui factus est in caput anguli. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud Nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

Grad: Salvos fac nos, Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus: ut confiteamur Nomini sancto tuo, & gloriemur in gloria tua. ℣. Tu Domine, Pater noster, & Redemptor noster: à sæculo Nomen tuum. Allel: allel. ℣. Laudem Domini

mini loquetur os meum, & benedicat omnis caro Nomen sanctum ejus. Allel.

Post Septuag: dicitur Tractus.

Domine Deus virtutum, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus: sonet vox tua in auribus meis. ℣. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora nimis. ℣. Oleum effusum Nomen tuum, Jesu: ideo adolescentulæ dilexerunt te.

✠ *Sequentia S. Evangelii secundùm Lucam.* Luc: 2.

IN illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est Nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Credo.

Offert: Psal: 85. Confitebor tibi, Domine, Deus meus in toto corde meo: & glorificabo Nomen tuum in in æternum. Quoniam tu, Domine, suavis & mitis es, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te, alleluia. *Secreta.*

BEnedictio tua, clementissime Deus, qua omnis viget creatura, sanctificet, quæsumus, hoc sacrificium nostrum, quod ad gloriam Nominis Filii tui Domini nostri Jesu Christi offerimus tibi: ut majestati tuæ placere possit ad laudem, & nobis proficere ad salutem. Per eundem Dominum nostrum: &c.

Pro Dominica Secunda post Epiphaniam. Secreta.

OBlata, Domine, munera sanctifica; nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum; &c.

Præfatio de Nativitate. Communic: ibidem.

Omnes Gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt Nomen tuum: quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus, alleluja.

Postcommunio.


OMni potens æterne Deus, qui creâsti, & redemisti nos, respice propitiùs vota nostra, & sacrificium salutaris hostiæ, quod in honorem Nominis Filii tui Domini nostri Jesu Christi majestati tuæ obtulimus, placido; & benigno vultu suscipere digneris ut gratia tua nobis infusa, sub glorioso Nomine Jesu, æternæ prædestinationis titulo gaudeamus, nomina nostra scripta esse in cœlis. Per eundem Dominum; &c.


Pro Dominica II. *post Epiphan: Postcommunio.*


AUgeatur in nobis, quæsumus Domine, tuæ virtutis operatio ut divinis vegetati Sacramentis, ad eorum promissa capienda, tuo munere præparemur. Per Dominum nostrum: &c.

In fine Missæ legitur Evangelium Dominicæ secundæ post Epiphaniam.









MISSALE
MONASTICUM